



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio III. Vtrum essentia actualis distinguatur per rationem ab
existentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quaest. III. Vtrum essentia disting. &c. 39

nere causae materialis diceretur infinita in ratione essentiae, quod nullus audebit dicere; quare ex sola irreceptione in genere causae efficientis, ut supra explicui, optime colligitur infinitudo simpliciter quae nulli creaturae convenit.

218 Ad secundum principale argumentum concedo maiorem & distinguo minorem: essentia possibilis concedo: essentia actualis nego.

219 Ad tertium concedo maiorem & distinguo minorem. Praedicata quidditativa actualia nego minorem, praedicata quidditativa potentialia concedo minorem, in quibus fundatur illa propositio aeternae veritatis & non fundatur in actualibus praedicatis, ut patet ex dictis *tratt. de possibilitate*.

220 Ad ultimum argumentum concedo maiorem & nego minorem, quia creatura licet non conveniat compositio ex esse & essentia convenit compositio ex natura & substantia distinctis ex natura rei, ut patet in Angelis & in omni substantia creata, si autem substantia fuerit completa corporea convenit illi compositio ex partibus essentialibus & integralibus: tandem si substantia est pura spiritualis admittit compositionem substantiae & accidentium realium, per quas omnes compositiones distinguuntur creaturae a Deo.

QVÆSTIO III.

Vtrum essentia actualis distinguatur per rationem ab existentia.

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

P R I M A sententia docet essentiam actualem & existentiam distingui per rationem inter se distinctione excludentis ab excluso, ita ut sint duae formalitates, quarum una non includitur in alia, eo modo quo se habent animal & rationale: hac est sententia valde communis inter Doctores excludentes distinctionem realem inter essentiam & existentiam. Pro hac citatur Pater Suarez *disput. 31. metaphysica, sect. 6. num. 16*. ubi sic inquit. Nullus est Theologorum qui distinctionem rationis inter essentiam & existentiam non admittat.

2. Probatur primo, ideo existentia Dei non potest distingui ab eius essentia, quia Deus est a se, & ideo non praebet ansam intellectui ut concipiat essentiam Dei sine existentia, sed essentia creaturae non est a se: ergo potest concipi sine existentia.

3. Secundo, existentia concipitur ut praedicatum contingens respectu essentiae; sed illud quod concipitur ut praedicatum contingens respectu essentiae alterius, saltem per rationem distinguitur ab illo cui contingit: ergo essentia & existentia distinguuntur.

4. Tertio in Christo supponimus de fide esse duas naturas, & quaerimus an sint duae existentiae: ergo signum est quod essentia & existentia saltem per rationem sunt duae formalitates distinctae.

5. Quarto isti termini essentia & existentia non sunt synonymi: sed si essentia & existentia non distinguuntur per rationem, essent termini synonymi: ergo essentia & existentia distinguuntur per rationem.

6. Ultimo, si essentia & existentia non distinguuntur per rationem, existentia esset de conceptu essen-

tiae creatae: sed hoc implicat: ergo distinguuntur per rationem. Probatur minor, existentia solum est de conceptu essentiali Dei: ergo non est de conceptu essentiali creaturae.

SECTIO II.

Nostri sententia ponitur.

P R I M A conclusio: essentia non distinguitur per rationem ab existentia distinctione excludentis ab excluso, atque adeo essentia rei non potest praecendi ab existentia. Hanc conclusionem expressè docet Pater Suarez *tom. 3. in 3. partem, disputat. 49. sect. 4. §. 2.* principaliter, ubi sic inquit. [Actualitas existentiae est ita intima rei propter est vera, realis & actualis entitas, ut nullo modo discerni possint tanquam actus & potentia respectiva, quia separata existentia etiam per intellectum solum intelligitur manere potentia obiectiva; nam si intelligitur manere aliquid actu, ens illud est existens.] sed clarius & melius loquitur idem eximius Doctor, *tom. 1. in tertiam partem, disputat. 36. sect. 1. §. ex ratione vero*, ubi ita expressè ponit meam conclusionem ut dubitari non possit, imo illam probat ratione quam evidentem existimo in hac re eamque postea subiiciam, in hoc igitur loco sic inquit. [Ex ratione verò existentiae sic explicata colligitur primo fieri non posse ut aliquid sit ens in actu, seu quod concipiatur tanquam actualis entitas qui in suo conceptu formaliter includat existentiam, ita ut nec per abstractionem praecipiatur intellectus possit unum ab altero separari manente conceptu utriusque.] Ecce asserit expressè meam conclusionem; neque est sibi contrarius eximius Doctor citatus supra pro prima sententia, quia ibi non dicit distingui essentiam ab existentia mutuo; sed solum distingui per rationem quod stat cum mutua inclusione utriusque, quod declarat ipse Doctor in *metaphysica disput. citata sect. 13. num. item 13.* ubi asserit quod compositio ex essentia & existentia est ad modum compositionis substantiae, substantia autem ab ente in sententia eximij Doctoris solum distinguitur penes explicitum & implicitum, probatur sic.

Tunc aliqua non distinguuntur per rationem modo dicto in conclusione, quando ita se habent ut unum non possit concipi sine alio: sed essentia realis non potest concipi sine existentia: ergo essentia realis non distinguitur ab existentia adaequate distinctione excludentis ab excluso. Probatur minor, implicat concipi aliquem effectum vel quasi effectum formalem non concepta forma vel quasi forma constituyente illum: sed existentia est forma vel quasi forma constituens essentiam realem, actualem: ergo implicat concipi essentia realis actualis non concepta existentia: maior est evidens, quia non potest concipi album constitutum in ratione albi, quin in illo conceptu includatur albedo, quia forma est de essentia effectus formalis, sed res non potest concipi sine sua essentia, quia essentia est id sine quo res neque esse neque intelligi potest: ergo. Minor autem praecipua est sententia omnium Doctorum cum quibus nunc pugnamus, quia ut constat ex *questione superiori*, res constituitur in ratione entis realis, per existentiam; quod sic patet, quia existentia realis est esse reale actuale, & esse reale actuale est ens reale actuale, ut patet *questione superiori*, ubi latè probauimus ens, esse, & essentiam, esse synonyma: sed essentia realis actualis constituitur in suo esse per rationem entis realis actualis, quod est primum praedicatum

tum essentiale transcendens ultimas differentias essentiae actualis realis, particularis: ergo talis essentia realis actualis constituitur essentialiter per esse actuale reale: sed esse actuale reale est existentia: ergo per existentiam constituitur talis essentia actualis in suo esse reali.

9 Confirmatur, id per quod aliquid distinguitur essentialiter à suo contrario vel contradictorio, est ita essentiale illi ut non possit concipi sine illo per quod distinguitur, sed entitas & essentia actualis distinguitur ab esse in potentia, quod est quasi contrarium illius secundum statum, & à nihilo quod est contradictorium ipsius per existentiam, ut constat ex dictis *questione superiori*: ergo implicat concipi essentiam actualem non concepta existentia.

10 Et si aliquis dicat quod essentia actualis constituitur in esse talis per capacitem & ordinem ad existentiam. Præterquamquod id optime impugnatur idem eximius noster Doctor, & dicit quod qui ita loquuntur decepti sunt. Aduertant quod etiam Thomista ita respondent; quod entitas actualis constituitur in esse talis per ordinem ad existentiam, & quod entitas actualis est existens virtualiter, fundamentaliter & in actu primo, seu in actu signato, & sicut Thomista impugnantur, quia illa entitas actualis præcisa quacumque formalitate est existens, quia est extra nihilum, & non est in potentia, ita similiter impugnat hęc responsio.

11 Quia vel illa essentia actualis quatenus concipitur secundum rationem suam essentialem, concipitur extra nihilum, & non in potentia, & sic necessario concipitur ut existens, quia concipitur conceptus formalis existentiae vel non concipitur extra nihilum: sed in potentia, etsi concipitur ut possibilis, & per consequens ut distincta ab existentia realiter, & ut non ens ab ente, quia inter hæc non datur medium, & sic necessario debet concipi, vel ut actualis & existens, vel ut possibilis & in potentia, sed non concipitur ut possibilis: ergo non concipitur ut existens, ergo non potest concipi entitas realis actualis quin concipiat ut existens.

12 Vrgetur, quia si existentia per rationem distingueretur ab essentia actuali, ita ut essentia duæ formalitates; in ipsamet existentia ut distincta ab essentia actuali deberent distingui aliæ duæ formalitates, scilicet essentia, existentia & ipsa existentia, ac proinde procederet in infinitum, nam actualis essentia formalitas ut distincta à quavis alia est ens simpliciter oppositum enti in potentia: ergo ut sic concepta habet rationem entis simpliciter, quia effectus formalis non apprehenditur sine ratione formali, sed illa ratio est existentia: ergo. Vnde hoc argumentum quod vrget Thomista, vrget nunc Aduersarios.

13 Tandem quia sicut se habet essentia possibilis respectu esse & existentiae possibilis, ita se habet essentia actualis respectu existentiae actualis, & exercitæ, sed essentia possibilis adhuc per rationem non distinguitur ab existentia possibili: ergo neque essentia actualis distinguitur ab existentia actuali. Minor sic probatur, quia essentia ut sic est synonymum entis ut sic, vnde ens ut sic, & essentia ut sic solum quoad voces differunt: ergo ens possibile & essentia possibilis idem omnino sunt, & solum per voces differunt, sed ens possibile & esse possibile sunt omnino idem adhuc per rationem, ergo essentia possibilis, & esse possibile sunt omnino idem adhuc per rationem; sed esse possibile & existentia possibilis sunt omnino idem adhuc per rationem, ergo adhuc per rationem essentia possibilis & existentia possibilis sunt omnino idem. Patet consequentia, quia quæ sunt eadem vni tertio, eo modo quo sunt eadem, illi

sunt eadem inter se, sed essentia possibilis & existentia possibilis per rationem sunt idem in ente possibili adhuc per rationem: ergo adhuc per rationem essentia possibilis & existentia possibilis sunt idem inter se.

Secunda conclusio: existentia & entitas actualis seu essentia realis actualis sunt idem formalissimus conceptus; hæc conclusio patet ex supradictis, quia entitas actualis realis est id quo res distinguitur à nihilo, & ab ente possibili: sed existentia est id quo res distinguitur à nihilo: ergo existentia formalissimè est entitas actualis, & realis, quam etiam conclusionem probant omnia argumenta nuper posita superiori conclusione.

Ultima conclusio, si existentia ut sic comparatur cum essentia particularibus, distinguitur ab illis distinctione includentis ab incluso, quia existentia ut sic est idem quod ens ut sic, sed ens ut sic distinguitur à particularibus entibus, seu essentia tanquam prædicatum commune inclusum in ipsis, ac proinde ab ipsis ut includentibus illud: ergo eodem modo distinguitur existentia ut sic à particularibus essentia, quia omnes essentiae particulares includunt existentiam sicut includunt ens, existentia autem non includit essentias particulares, sicut neque ens illas includit, & sic intelligo sententiam eximij nostri Doctoris quando asserit existentiam distingui ab essentia per rationem, loquitur enim de existentia ut sic comparata cum essentia particularibus, à quibus per rationem distinguitur existentia modo dicto per maiorem, & minorem expressionem, sicut ratio communis transcendens à rationibus particularibus, quas transcendit.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria soluntur.

Ad primum nego maiorem, quia non ideo, sed quia est ens reale actuale solum, & ex eo quod sit à se, habet omnino necessariam existentiam, quæ nullo modo potest destrui, in quo distinguitur à creatura.

Ad quantum distingo maiorem. Concipitur ut prædicatum tantum contingens respectu existentiae possibilis, concedo; respectu essentiae actualis, nego maiorem.

Ad tertium concedo antecedens, quantum ad primam partem, & distingo quantum ad secundam, quia in re non sit de essentia entis, nego antecedens, quia aliqui intendunt malè & falso, concedo antecedens. Ex quo non sequitur quod existentia non sit idem quod ens reale & actuale, vnde respondit Pater Suarez esse impossibile quod humanitas Christi Domini non habeat propriam existentiam, quia est de conceptu essentiali omnis entis realis & actualis.

Ad quantum distingo maiorem, essentia particularis concedo maiorem, essentia ut sic nego maiorem, ut constat ex tertia conclusione.

Ad vltimum concedo maiorem, & nego minorem; & ad probationem illius distingo antecedens, si illud esse de essentia sumatur pro eodem quod est habere illum conceptum à se concedo antecedens, si vero sumatur pro conceptu constituyente rem essentialiter nego antecedens, ut patet ex dictis.